

sit, quibus decretis confirmatus, cur olim solis spiritalibus ^{a)} intentus, postmodum ad instar rei publicę magistratibus et defensoribus fultus sit. Erunt autem forte et alię quę his explanatis subdividi possint.

Theophilus. Magna sunt quę postulas et ipsa sui propositione iam mihi metum prestantia, neque enim vires meę sufficiunt ad portandum quod imponis onus.

Eutitius. Gregorius dicit ¹⁾: *Vires quas imperitia denegat, karitas ^{b)} ministrat.* Non ergo subterfugiendus est pius labor, quem karitas ^{b)} ex dilectionis proponit archano ^{bb)}. Ex hoc quoque ^{c)} fiducia crescere debet, quia non tantum ^{d)} tuis, quantum patrum scriptis ad hęc efficienda ^{e)} flagitaris; simulque volo, ut audias te admonitum enchiridion cudere, non immensa ^{f)} volumina adunare. Ne ergo dubitaveris ^{g)}, sed Christo rectore de priori statu ecclesię iam nunc incipe disputare.

Theophilus. Suaves quidem sunt sermones tui, sed dura imperia; vis enim, ut tuis conicio ^{h)} dictis, ut ampla contraham ⁱ⁾, contracta quęque testimoniis accingam: quę quam ^{k)} laboriosa sint, tuo intentus desiderio non perpendis.

Eutitius. Vide ne comici ²⁾ illo verbo te notaveris: *Nulla res tam facilis quin difficilis ^{l)} siet ^{m)} quam ⁿ⁾ invitus facias.* Cum ergo tibi proposuerim adiutorem fontem sapientię ³⁾ qui dicit: *Omnia possibilia ^{o)} credenti ⁴⁾*, cur amplius dubitare mavis?

Theophilus. Non dubito, ut qui os asinę ^{p)} articulata voce resolvit ⁵⁾, inertię quoque meę fatuitatem sale sapientię suę condire possit. Itaque soluto rudente spiritui eius carbasa nostra committentes, hinc optati navigii ordiamur exordium ^{q)}.

Ad redimendum hominem invidia diaboli ab ęternitate deiectum Deus pater omnipotens filium suum coęternum sibi et consubstantialem mittere dignatus est, qui de virgine carnem assumens ^{r)}, ita divinam naturam humanę univit naturę, ut illius ad infima ^{s)} descensio ^{t)} nostra

^{a)} spiritalibus C. ^{b)} caritas B, charitas C. ^{bb)} archario C. ^{c)} pia C. ^{d)} tantum B. ^{e)} effugienda B. ^{f)} immensa BC. ^{g)} so AB; bei Zeilenwechsel du dubitaveris B; schwer lesbar in A; dubites C. ^{h)} conicio C. ⁱ⁾ conthraham B. ^{k)} so em. Traube bei D; cum ABC. ^{l)} diffilis B. ^{m)} fiet B. ⁿ⁾ so ABC u. die Terenz-Codd.; S. Prete, P. Terenti Afri Comoediae, Heidelberg 1954, em. quom. ^{o)} fehlt B. ^{p)} hinter s ein Buchstabe mit Oberlänge radiert B. ^{q)} aus exordiam korr. A. ^{r)} assumens BC; vgl. S. 75 N. i. ^{s)} infima B. ^{t)} des/scensio (Zeilenwechsel) B.

¹⁾ Diese Stelle habe ich nicht gefunden (D).

²⁾ Ter. Heautontim. IV, 6, 1. 2, vgl. Hieronymi in Ezech. VII prol., Opp. ed. Vallarsius V, 239 (= Migne, PL. 25, 199) (D). Vgl. oben S. 27 Anm. 47.

³⁾ Vgl. Prov. 18, 3.

⁴⁾ Marc. 9, 22 (D). ⁵⁾ Num. 22, 28 (D).